

processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

29. Hisce præmissis, quoties aliquis ex conjugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus Judicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel Judex delegatus citari mandabit Defensorem matrimonii, quatenus in Curia Episcopali jam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus præstantem, quas superius memorata Constit. Bened. XIV. requirit, eumque citari mandabit.

30. Defensoris matrimonii erit præfixa die accedere ad præstandum juramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quæ ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Præterea hic Defensor Matrimonii citandus erit ad quælibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quodcumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quodcumque scripta ejus erunt recipienda, ac novi termini, eo flagitante, erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

31. Præfinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda, illo postulante, ex Judicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit conjux instans pro nullitate. Iis addet etiam ea in actu examinis ex officio Judex, quæ ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus cæteri omnes de re instructi erunt examinandi.

32. Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans, comparebit, ut supra dictum, coram Judice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Judex defert parti examinandæ juramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

33. Interim dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribat in processu primam interrogationem, et deinceps singulas

ex ordine, post quas scribet responsiones a Judice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Judice, vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio*, et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Judex illud suspendet, ac destinabit etiam diem ac horam pro reassumptione et prosecutione eisdem modo et forma facienda, ut supra dictum est.

34. Absoluto examine, Cancellarius leget clara voce et intelligibili responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Judex deferat juramentum eidem conjugi, se vera dixisse, atque nunquam ante promulgationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illitteratus per signum Crucis; dein Judex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

35. Poterit pars examini subjecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter conjux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Hæc norma, quæ data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

36. Expleto examine illius conjugis, qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius conjugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quæ præscriptæ fuerunt in præcedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout defensor Matrimonii in Domino censuerit.

37. Deinde procedendum erit ad examen *'septimæ manus'* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. (*in cap. 'Litteræ vestræ' de frig. et malef.*) Ut id facilius exequi Judex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate conjunctos, si fieri

possit, sin minus, septem vicinos bonæ famæ. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis conjugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem, et honestatem illius conjugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse.

38. Similiter, instante Defensore Matrimonii citandus erit alter conjux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonæ famæ, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subjiciendi designatis diebus et horis, delato prius juramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

39. Liberum erit conjugibus testes bonæ famæ ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim, et methodo hactenus præscripta erunt examini subjiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis jam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subjiciantur.

40. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant, etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel ea silente, ad instantiam Defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius Diœcesis, in qua morantur, examinandi juxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui præstet requisitis in Bulla sæpius laudata S. M. Benedicti XIV. præscriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

41. Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt præsertim, quando initum fuerit matrimonium, utrum inter conjuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint, quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint, utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de questionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

42. Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos conjuges consuluerunt. Præterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si

conjuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis conjugum seorsim sequente methodo perficiendam. Instante præsertim Defensore matrimonii Judex præfiget terminum tam utrique conjugi, quam Defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque conjugis inspectione, congrua congruis referendo.

43. Exhibitis notulis a partibus, Judex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant; sin minus, eos ex officio, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit, atque curabit ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis, tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit cognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, necnon facultatem, quatenus non convenient in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

44. Designata die et hora ad locum accedant Judex, Defensor Matrimonii, Cancellarius, et periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus viri inspicient, ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quæ juxta artem, non tamen illicitis, opportuna judicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione hæc præcipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiae, deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio, quod apparere poterit. An adsint signa, quæ moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quæ sit hujus impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis ac præcedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel æquivoca.

45. Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibi que reservabit jus addendi alia interrogatoria, ac iterum eos ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, Judex aliam diem designabit ut illud prosequatur. Uterque ex peritis, tum ante examen juramentum præstabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, propria manu subscribens, Judex,

Defensor validitatis Matrimonii et Cancellarius subscribet et qui actum rogabit.

46. Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris.

Judex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quæ a duobus saltem peritis, uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendæ de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione.

Statuta autem hujus inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestæ Matronæ pariter a Judice deputandæ pro infra-scripta præstanda personali assistentia, atque adstantibus semper tribus obstetricibus, et matrona, immergenda erit in balneo aquæ tepentis a peritis prius recognoscendo, quod erit aquæ puræ, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horæ unius permanere debet; quo tempore transacto, adstantibus et præsentibus semper Matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et præsentate Matrona: qua in re prospiciendum etiam, ut hæc recognitio fiat tempore tantum diurno, et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione hujusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactiusprehendatur.

47. Judex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum peritis, ut supra ad domum Matronæ accedent. Peracta illinc recognitione, seorsim singulæ obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustris virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis præcise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quæ clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii.

48. Deinde formali examini erunt subjiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum, super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debet quoque Matrona quoad præstitam toto balnei et recognitionis tempore assistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quæ superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Judex præ sua diligentia assu-

mendam, finis imponetur probationum collectioni, et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Judice, factisque subscriptionibus ab eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Hæc habenda methodus.

49. Quæ in actis continentur, nemini nec ipsis quidem conjugibus, eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quodcumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem judicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus, juxta constitutionem sæpius citatam *'Dei miseratione'*.

Omnibus absolutis et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

50. Si hæc Matrimonii nullitas decreta fuerit, debet Defensor Matrimonii appellare juxta citatam Constitutionem, nec poterunt conjuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub pœnis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *'Dei miseratione'*. Deinde transmittenda sunt acta ab Episcopo ad Judicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentioris competentis mercede Cancellario.

51. Hæc quæ diximus communia ut plurimum sunt omnibus causis matrimonialibus. In specie autem relate ad causas nullitatis matrimonii ex capite impotentiae animadvertendum est experimentum triennale, quod jure Decretalium usque ad tempora nobis proxima in usu fuit, hodierna disciplina in usu amplius non esse, et ut pragmatici loquuntur, ab aula recessisse. Cognitum enim est non amplius experimentum hoc expedire, præsertim quia ob malam fidem apparuit illud non amplius esse medium honestum et utile.

Sane contigit ut conjux qui accusabat impotentiam relativam, libidinem cum alia persona expleret, antequam ad suum conjugem accederet. Quare ad omnia incommoda vitanda, hæc praxis in S. Congregatione Concilii inducta est. Quando solutio matrimonii exposcitur ex capite impotentiae duo proponuntur dubia: 1º. An constet de matrimonii nullitate ex capite impotentiae? Et

quatenus negative, 2<sup>o</sup>. an sit consulendum Sanctissimo super dispensatione matrimonii rati et non consummati?

52. Si constet de impotentia præcedenti et perpetua, Congregatio respondet ad 1<sup>m</sup>. *affirmative*; ad 2<sup>m</sup>. *provisum* in 1<sup>o</sup>. Si autem de impotentia non satis constet, sed constet matrimonium non fuisse consummatum, simulque adsint causæ sufficientes ad dispensationem concedendam, dubiis solet respondere S. Congregatio ad 1<sup>m</sup>. *Providebitur in 2<sup>o</sup>*; ad 2<sup>m</sup>. *Affirmative*.

Per hanc disciplinam immutata est dispositio cap. 6. h. t. Nam in cap. 6. sententia Judicis erat solummodo declaratoria, qua nempe matrimonium nullum declarabatur ob impotentiam antecedentem et perpetuam. Unde si tractu temporis apparuisset impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium solum redintegrari debebat.

53. In actuali autem disciplina intercedit dispensatio auctoritativa, qua si adsit vinculum matrimonii rati illud solvitur. Unde si deinde appareat impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium non redintegratur. Constare autem debet matrimonium non fuisse consummatum; quoties enim appareat consummatum fuisse, dispensatio non conceditur, et conjuges tenentur conversationem conjugalem, idest individuum vitæ consuetudinem restaurare. Porro non-consummatio matrimonii probatur communibus argumentis judicialiter cognitis, idest ex confecto processu resultantibus.

54. Causæ autem dispensationis præsertim sunt maxima dissociatio animorum, fundatum dubium de impotentia alterutrius conjugis, periculum incontinentiæ, et aliqua coactio moralis adhibita, ut matrimonium contraheretur.

#### TITULUS XVI.

#### De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

1. Interdictum Ecclesiæ lato sensu sumptum opponitur legi Ecclesiæ irritanti matrimonium, et proinde complectitur omnem prohibitionem Ecclesiæ, qua matrimonium illicitum redditur, non tamen invalidum. Unde nomine interdicti Ecclesiæ veniunt omnia impedimenta impediencia matrimonium.

Interdictum Ecclesiæ stricto sensu significat impedimentum impediens in specie quod dicitur *Ecclesiæ vetitum*, de quo infra.

2. Antiquitus impedimenta impediencia hisce versiculis concludebantur:

'Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,  
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,  
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris,  
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,  
Aut si pœniteat solemniter, aut monialem  
Accipiat, prohibent conjugium sociandum.'

3. Non amplius hæc omnia impedimenta vigent, sed quæ adhuc extant ad quatuor reducuntur, scilicet: 'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum'.

*Ecclesiæ vetitum* significat prohibitionem superioris, qua alicui in particulari interdicatur celebratio matrimonii.

Superior hic potest esse Pontifex, vel Episcopus, vel etiam Parochus.

4. Pontifex uti vidimus in 1<sup>o</sup>. tit. hujus libri potest prohibere matrimonium etiam cum clausula irritante, quo in casu si contrahatur matrimonium, non solum est illicitum sed etiam invalidum, quia Pontifex, qui potest per regulam generalem statuere impedimentum dirimens, potest etiam illud statuere relate ad individuum.

Episcopus etiam prohibere quidem potest matrimonium, at nunquam ejus prohibitio constituit impedimentum dirimens, sed solummodo impediens.

5. Immo licet prohibeat Parocho, ne assistat alicui matrimonio, tamen quia Parocho remanet titulus Parochi, si matrimonio assistat, valide coram eo contrahitur matrimonium. Ita S. Congregatio in respons. dat. a. 1581. ad dubia proposita ab Episcopo Siennensi, et in '*Savonens.*' 2. Martii 1595. Ex cap. 3. h. t. infertur etiam Parochum ex justa ratione ad tempus posse inhibere celebrationem matrimonii. Hæc enim est differentia inter Parochum et Episcopum, ut Parochus, quia non habet fori externi et judicialis jurisdictionem, possit inhibere solummodo matrimonium extrajudicialiter, et absque censuris, Episcopus vero possit, sive extrajudicialiter, sive etiam judicialiter, adhibita etiam censurarum comminatione. C. 2. h. t.

6. Contrahentes matrimonium, spreto interdicto Ecclesiæ, ex eodem c. 2. h. t. graviter peccant.

Pœnæ in specie non adsignantur. Hinc pœna infligitur ex arbitrio Episcopi, juxta qualitatem contumaciæ, et facti circum-